



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XXII. De accessu ad Sanctum Sanctorum Iesum Christum Regem Angelorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

dera, patientiæ palmam fortiter tenere; donec soluto carnis debito, ad hanc, quam desidero beatitudinem, tua misericordia valeam pervenire.

CAP. XXII. De accessu ad Sanctum Sanctorum Iesum Christum, Regem Angelorum.

*Psal. 43.* **T**u es ipse rex meus, & Deus meus.

*Psal. 41.* Exurge anima mea, veni, & ingredere in locum tabernaculis admirabilis, usque ad domum Dei.

Decet namque, ut cæteris omissis, cum supplici reverentia nunc procedas, ad salutandum Dominum nostrum Iesum Christum, Salvatorem ac Redemptorem tuum, qui est caput omnis principatus & potestatis; gaudium & corona Sanctorum omnium; firma spes ac certa expectatio cunctorum fidelium.

Tituli, e-  
logia, &  
beneficia  
Christi,  
ob quæ  
dignus à

Ipse est, qui te fecit & redemit, ipse pro te laboravit, certavit & vicit. Ipse est \* advocatus

tua

tuus, & propitiatio pro peccatis  
tuis.

nobis  
summe  
laudanda.  
dus.

Ipse est consolator tuus, pro-  
visor tuus, & gubernator tuus.  
Ipse est unicus & singularis Dile-  
ctus tuus, qui pascitur inter lilia,  
& inter ubera tua optat com-  
morari.

\* 1, Ioa. 2.

Quis unquam tibi tanta bona  
fecit? Quis tanta charitate te di-  
lexit? Ad hunc accede; huic te  
præbe, Aperi ei cor tuum, & enu-  
mera coram illo, quæcumque diu  
celata portasti.

Nemo tibi melius indicabit  
nec revelabit, quid spei vel con-  
siliū sit gerendum in rebus huma-  
nis, quæ tot variatur eventibus.

Apud ipsum vota & desideria  
tua, & in ipso consilia tua per-  
maneant. Spes hominum frustra,  
ipse autem est stabilimentum  
pacis.

Tob. 4.

Per ipsum habebis *accessum*  
ad Patrem, & ab ipso omnis gra-  
tia tibi donatur, & virtus am-  
plior infunditur.

Ephes. 2.

2. Sive tristeris, sive gaudeas,  
ad ipsum habeas semper recur-  
sum. Ipse speculum vitæ, ipse

norma justitiæ. Ipse lux indeficiens animæ, amor pudicitia, & gaudium conscientia.

Propter ipsum faciliter omnia delectabilia contemnes; propter ipsum omnia amara & contraria tolerabiliora erunt, & placebunt tolerata ejus amore.

*Rom. II.* Denique ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ad ipsum principaliter omnis intentio, omnis actio, sermo, lectio, oratio, meditatio, & speculatio respicere debent. Per ipsum tibi salus datur, & præparatur vita æterna.

Propter ipsum non timebis mori, nec recusabis vivere; quia ejus fidelitati debes credere, nec ejus honori vel amori quicquam præponere. Accede ergo nunc, & gratias age tuo Redemptori.

*Gratiarum actio per quam elegans ad Christum Salvatorem.*

5. O dulcissime & super omnia amabilissime JESU, sis devotissime salutatus, altissime laudatus, & nunc, & æternaliter ab omni creatura benedictus.

O dignissime Jesu, quid hõ

noris unquam rependam? Aut quam gratiarum actionem reddam tibi, qui mihi infinitas misericordias exhibuisti?

Et si aliquid invenirem, quod tibi donare possem, nonne tuum esset antequam darem? Quid ergo retribuam? Parum vel nihil habeo. Nunquid de nihilo sacrificare possum?

Accipe tamen sacrificium humilitatis, paupertatis, & nihilitatis meæ; & sit totum tibi ascriptum, quicquid mihi impartiri voluisti.

Agnosce  
paupertatem  
tuam;

Dicant & pro me laudes immensas omnes Angelorum chori, tibi semper assistentes.

Invita omnes  
cœlites ad  
Deum pro  
te laudandum;

Dicant, & omnes spiritus Justorum, alta jubilatione id ipsum repetentes.

4. Sed adhuc quid agam, in memoriam & laudem sanctissimi nominis tui? Multa deberem agere, multis teneor & obligor; & vix ad minima sufficio.

Legā igitur de te, Jesu mi dulcissime, scribam de te, cātabo de te, cogitabo de te, loquar de te, ope-

Omnia  
tua ad  
Christi  
gloriam  
refero.

operabor pro te, patiar pro te. Exultabo in te, laudabo te, magnificabo te, glorificabo te. Digne adorabo te, quia Deus meus es tu, in quem credidi, quem amavi, quem quæsi, quem semper optavi.

Fac mecum signum in bono, ut videant oculi mei speciosum vultum tuum in cælo. Ad pedes tuos humiliter me prosterno, deprecans obnixè tuam clementiam cum lacrymis, quatenus mihi misericors esse digneris.

Scribe nomen meum in libro vitæ, nec unquam illud deleatur, quod sancta manus tua conscripsit.

5. Ego infelix, & Sanctorum meritis valde dissimilis, de tua superabundanti prærogativa meritorum confidens, imploro, ut saltem inter infirma & extrema Electorum membra, merear computari.

Et in solis  
Christi  
meritis  
spem pone;  
ne;

Scio, quia non est talis vita & conversatio mea, ut confidere aliquid de me ipso audeam; sed tota spes & consolatio mea, in pretio pretiosi sanguinis tui con-

con-

constat & requiescit, in quo me totaliter pono, & ponendum sentio, cum omnibus quæ egi, deliqui, merui, & omisi.

Vide ergo exiguitatem & indigentiam meam, clementissime Jesu, attende affectum cordis mei, quem ad te gero & habeo; non quia ego dignus sum, sed quia tu benignus es, qui ab indignis non dedignaris tangi & amari.

Bonus  
saltem  
affectus  
infinite  
eius Bo-  
nitati  
gratus  
eris.

Terret me impuritas mea; sed iterum me trahit & allicit ad te maxima pietas & humilitas tua; qui non solum homo fieri, sed etiam pro homine peccatore pati, mori & sepeliri, in vera charitate consensisti.

Ideoque ad te confugio, quia nil boni in me invenio. Tu supple pro me, quod minus valet vis mea perficere.

6. Tu desiderium mihi tribuisti, ut te salutarem, laudarem, atque benedicerem; quia spes mea tu es, & portio mea in terra viventium.

*Psal. 141.*

Desiderium animæ meæ est, esse tecum in regno cœlorum,  
sed

sed quia tempus meum nondum est paratum, expectabo te usque ad vesperam.

Cujus memoria nos solatur in hoc exilio:

Interim hæc mihi sit consolatio in loco peregrinationis meæ, quod memor sum nominis tui, & maximæ charitatis tuæ; & quod præsentem te habeo in fide, & sacramentis Ecclesiæ.

Intolerabile mihi profus foret in hoc mundo vivere, nisi spem haberem in te Domine. Non enim consentio cum seculo gaudere; & ne sine consolatione & gaudio manerem, in te statui gaudium meum ponere.

Multum & sæpè errarem, & multum in cogitationibus fluctuarem, nisi te in memoria mea, & in imaginatione mea tenerem.

Eaque præcipue in humanitate ejus excellit.

Et quia divinitatis tuæ altitudinem capere non possum, nec incorpoream veritatem comprehendere sufficio, tutius me ad sanctæ humanitatis tuæ gesta & verba converto; quia hæc cogitans, non omnino à divinitate tua recedo.

Gratias tibi Jesu bone, dulcis & amande, quia frater meus, os  
meum,

me  
es.  
tri  
fac  
aff  
rat  
un  
nis  
fid  
C  
  
fe  
m  
ci  
m  
ct  
pe  
q  
  
p  
p  
m  
n  
n  
ff  
q  
a



meum, & caro mea fieri dignatus es. Gratias & sanctæ Mariæ Matrituæ, de cujus virginali carne, sacrosancta corporis tui membra assumpsisti; ac mediante anima rationali, perfecte divinitati adunasti, ut ipsa non tantum hominis, sed & Dei Mater digne ac fideliter appelletur.

CAP. XXIII. De processu ad salutandum Virginem gloriosam.

**A** Stitit regina à dextris tuis,  
in vestitu deaurato. \*

Quamvis nullius sim meriti, sed multorum delictorū conscius mihi, est tamen pergrandis fiducia, passio tua, Domine Jesu, & meritum gloriosæ Virginis sanctæ Mariæ matris tuæ. De qua parumper cogitare nunc libet; & quæso, liceat.

Quis enim ego sum, ut audeam propius accedere, nisi licentia prius postulata? Scio indignitatē meam, in ejus singulari reverētia non debere apparere, quam nimirum Angeli venerantur cum stupore, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto mundi, deliciis affluens paradisi?*

Ad bea-

tam Vir-

ginem E-

xercitiū

pulcher-

rimum,

usum sa-

lutatio-

nis An-

gelica e-

legantem

ostendes.

\*Psalm. 44

Cant. 8.